actum est. Ita sane doctissimus Pithæus *lib. de Processione Spiritus Sancti*; & Gerardus Vossius *in Dissertatione de tribus Symbolis*. (*a*) Sed bona Virorum eruditissimorum venia, peccat systema illud errore chronologico, eoque gravissimo. Etenim controversiæ illæ sub Pipino Rege, & Carolo Magno Imperatore in Galliis agitatæ de Processione Spiritus Sancti, anno duntaxat septingentesimo sexagesimo enatæ sunt, cum e contra Symbolum illud centum circiter annis in antecessum a Synodo Augustodunense laudatum esset; ut a Clericis memoriæ sedulo mandari juberetur.

Nonnulli a Vigilio Tapsensi in Affrica Episcopo Symbolum istud scriptum existimant; dum Constantinopoli exularet sub quinti sæculi finem; ubi cum audiisset, quantas strages in Affrica ageret Hæresis Ariana, & quo in discrimine versaretur popularium suorum Fides, pastoralis officii partes esse existimavit, periclitanti populo suo suppetias ferre, simplicioribusque Christianis eam Fidei professionem ob oculos ponere: nec illos adversus Arianæ sectæ perfidiam duntaxat communire; sed etiam adversus Nestorianam, & Eutychianam, quæ jam longe lateque grassabantur. Ideo autem illam expositionem, Fidem Athanasii nominavit, quod summam Athanasianæ Fidei contineret; & ne de condita hujus Fidei formula in suspicionem apud Hæreticos deveniret, ac propterea in certissimum vitæ discrimen adduceretur. Ita vir eruditus Quesnellius *dissertatione* 14. *in opera S. Leonis*; (*b*) & Natalis Alexander in Synopsi quarti sæculi *cap. 6.* qui ea ad id conjectandum ratione ducuntur, quod Vigilio huic admodum familiare esset, ut quæ scribebat Opuscula, sæviente Vandalorum persecutione, ea non suo, sed sub antiquorum Patrum nomine emitteret. Unde etiam Dialogum adversus Arianos, Sabellianos, & Photinianos sub S. Athanasii nomine scripsit, ubi Athanasium cum Ario, Sabellio, & Photino coram judice Probo disputantem inducit. Quare nil mirum, si idem in isto edendo Symbolo observasset; & Fidem Athanasii in titulo nuncupasset.

Id certe a Viris doctissimis prudenter excogitatum existimo. Nihil enim aut in nota temporum, aut in personarum conditione peccatum in ea conjectura video. Sed interim conjectura est, nullo efficaci argumento nixa, nullo manuscripto codice comprobata. Quamobrem de lata illa Quæstione confidentissime pronunciarim, tam certum esse, Athanasii non esse Symbolum illud, quam, cujus sit, incertum.

DISPUTATIO TERTIA.

PRÆLECTIO I.

De Regulis Fidei, ac primo de Scriptura Sacra, quæ omnium est regula prima.

ALteram susceptæ Tractationis nostræ de Fide partem attigimus, omnium maximam, in qua nobis est de Regulis Fidei prolixe admodum disputandum. Fidei Regulas, quibus tamquam immoto & inconcusso fundamento nituntur quæcumque Fide divina credenda sunt nobis, duplicis generis universi Theologi ponunt: alias quidem inanimatas ac mortuas; alias viventes, spirantes, & animatas. Mortuæ & inanimatæ Fidei Regulæ sunt Scriptura sacra, atque Traditio: Vivens, spirans, & animata Fidei Regula, Ecclesia est, quovis tandem modo credenda definiat: seu illa in Concilium coacta de Fide pronunciet, seu supremi illius Hierarchæ Romani Pontificis ore decernat. De singulis ergo Fidei Regulis dicendum venit ordine suo: ac primo quidem de Scriptura sacra, quæ prima omnium Fidei Regula est, a qua etiam pendent aliæ, suamque quantam habent auctoritatem mutuantur, & probant.

Quia tamen immensi moliminis esset, de Scriptura sacra dicere universim; nec eam possemus tentare aleam nisi falce, ut ajunt, in alienam messem immissa: (alterius quippe Professoris officium istud est) ad id nos unice revocabimus, quod nostri maxime muneris est, nec possemus citra piaculum, indictum relinquere. Quodnam illud? *Divina Scripturæ Sacræ Inspiratio*; qua nimirum effectum est, ut Scriptura prima Fidei nostræ Regula sit. Nec enim alio titulo habent sacri illi libri, ut indeficienti, ac suprema auctoritate fidem Catholicam firment, quam quia Deo inspirante, atque afflante conscripti sunt.

De Divina itaque sacræ Scripturæ inspiratione dicturus, varios ea de re varie sentientes observo, cum quibus futura mihi est disputatio. Primi in ordine veniunt Athei atque Gentiles, qui divinam Scripturæ Sacræ utriusque Testamenti inspirationem diffitentur; eosque omnes libros humana duntaxat industria, imo insigni fraude & improbitate conscriptos calumniantur.

Succedunt secundo in ordine Judæi, qui licet veteris Testamenti divinam inspirationem agnoscant, novi tamen Testamenti inspirationem perfracte negant.

Sequuntur Protestantes bene multi, atque in iis maxime Grotius, Episcopius, Spinosa: qui tametsi Scriptores sacros utriusque Testamenti a Deo afflatos agnoscant, in rebus sacris & ad religionem stabiliendam necessariis conscribendis; minime tamen in aliis ad humanam historiam, scientiasque naturales attinentibus, quas ex occasione attingunt: adeo ut in iis scribendis suo ipsorum genio relicti sæpius aberraverint.

Iis junguntur proxime e Catholicorum cætu nonnulli, maxime vero Leonardus Lessius, Joannes Hamelius, Cornelius a Lapide, Richardns Simonius: qui licet Scriptores sacros nuspiam vel in minimis etiam naturalibus enarrandis aberrasse fateantur; illos tamen specialiter afflatos & inspiratos a Deo negant in iis scribendis historiis, factisque narrandis, quæ vel per sese noverant, vel probatorum testium narratione, & suffragatione didicerant.

Ordine ultimo veniunt Theologi plerique non infimæ notæ, Sixtus Senensis, Melchior Cano, Andreas Vega, Robertus Bellarminus, Gravina, Gonetus; qui universa quidem sacris in Litteris contenta, cujusvis tandem generis illa sint, a Deo singulariter inspirata contendunt, quoad sensum atque substantiam, ut ajunt, narrationis; minime tamen

(*a*) Vide Natal. Alex. Tom. 4. Hist. Eccles. Parisiis editæ anno 1730.
(*b*) Apud Natal. Alex. Tom. 4. Hist. Eccles. Parisiis editæ Anno 1730.

tamen quoad verba distincta & individua, quæ sæpius, ut ipsi quidem existimant, Scriptorum sacrorum industriæ relicta sunt.

His igitur observatis, ut divinam sacrarum Scripturarum inspirationem defendam ordine debito, contra Gentiles certamen instituam omnium primo, qui divinam utriusque Testamenti inspirationem diffitentur. In quibus tamen impugnandis ac refellendis summatim, ac strictim duntaxat agam: momentaque rationum duntaxat septem indicabo; eaque non urgebo, non prosequar, sed vobis potius in secessu meditanda relinquam.

Momentum itaque probationis primum contra Gentiles, istud esto. Libri illi nonnisi divina inspiratione, divinoque afflatu sunt scripti, qui infinita continent futurorum contingentium, ac liberorum prænuncia vaticinia, quæ reipsa tandem impleta sunt, ut fuerant prænunciata. Cum enim solus Deus ea futura prænosse certo possit, Juxta illud celebratum effatum, *Nunciate quæ futura sunt nobis, & dicemus, quia Dii estis vos*: Eos Scriptores a Deo afflatos & inspiratos fuisse necesse est, qui hujusmodi futura, certo ac diu antequam contingerent, prænunciarunt. Hujusmodi vero sunt veteris Testamenti libri ferme omnes, a Genesi ad postremos usque Prophetas; in quibus infinita extant vaticinia, quæ suum tandem exitum habuerunt.

Neque reponere juvat, potuisse etiam Angelos futura prænunciare; atque ita potuisse Scriptores illos veteris Testamenti, ex illorum afflatu atque inspiratione futura illa omnia prænunciare. Absit. Quamquam enim possint Angeli mali naturali acumine ingenii, futura nonnulla prænosse, ex caussis necessariis oritura; non ea tamen, quæ ex caussis omnino liberis orientur; eaque multo minus, quæ ex uno Dei Optimi Maximi nutu atque arbitrio pendent, qualia multa sunt in veteri Testamento pronunciata.

Momentum probationis alterum divinæ Inspirationis istud habetote pro libris saltem veteris Testamenti. Libri veteris Testamenti tamquam divini, divinoque afflatu conscripti semper habiti sunt, ab eo populo, quem Deus præ cæteris elegit sibi, quem singulari protectione fovit, instituit, docuit, informavit, beneficiisque ingentibus cumulavit: Tales igitur libri illi sunt, divini scilicet, divinoque afflatu conscripti. Alias Deus huic populo illusisset, quem eo in errore versari permisisset, ex quo tota illius Religio contaminata fuisset.

Neque obest si forte dixeris, populum illum, quem Deus elegit sibi, quem edocuit, quem informavit, libros novi Testamenti non agnoscere uti divinos, divinaque inspiratione conscriptos; quin inde colligamus, libros istos tales esse, quales populus ille deprædicat. Id inquam nihilum obest, quia ab eo tantum tempore cæpit populus ille novi Testamenti libros non agnoscere uti divinos, ex quo a Deo reprobatus est, traditusque in reprobum sensum, ut non ultra luceat illi veritatis lumen. Ex tunc enim sua excidit auctoritate de rebus hujusmodi judicandi.

Tertium probationis invictæ momentum contra Gentiles istud accipite. Miracula atque prodigia a Moyse, Josue, cæterisque Prophetis patrata; quæ probant invicte, Judaicam Religionem divinam omnino fuisse, Deo scilicet uti certo illius auctore profectam, eadem illa miracula perinde probant veteris Testamenti libros divinos esse, ac Deo afflante conscriptos; quandoquidem Judaica Religio tales illos esse profitetur: Imo tota illa in eorum librorum observantia cultuque versatur; alterum enim sine altero stare non potest, planeque impossibile est, non esse libros illos divinos, ac Deo inspirante conscriptos, quos Religio divina, & a Deo profecta, ut divinos, & Deo spirante conscriptos agnoscit, colitque religiosissime.

Frustra vero Gentiles reposuerint ludrica omnino fuisse, & ad ludificandum duntaxat afficta miracula illa atque portenta, quibus Judaicæ Religionis, sacrorumque librorum divinitas a Moyse, Josue, cæterisque Prophetis probata est; Frustra, inquam; hujus quippe generis fuere portenta, quibus impossibile fuit, ut infinitæ propemodum hominum multitudini illuderetur, utque videre se crederent homines, quæ non videbant reipsa, & experimento probare, quæ minime experiebantur: conversæ scilicet in sanguinem aquæ fluminum totius Ægypti, tenebræ Ægyptiis omnibus per dies multos offusæ, vastati grandine atque locustis illorum agri, occisa ab Angelo eadem nocte omnia primogenita, tam hominum, quam pecudum & brutorum, Mare rubrum virga divisum; Populi Israelitici per medium maris libera trajectio; Manna per anns 40. è Cœlo delapsum; Muri Gerico ad tubarum sonitum momento dilapsi; Sol ad multas horas medio Cœlo stare jussus: aliaque id genus longe multa portenta, quibus hominum sensus fascinari minime potuerunt.

Quarto subinde loco, ex summa sacrorum Scriptorum inter se consensione, mutuaque concordia, in tradendis sanctioris vitæ præceptis, perspectum fit, Scriptores illos non humano sensu studioque fuisse ductos; sed afflante divino Numine, suos illos Codices exarasse. Eccur enim Philosophi E. G. in monstranda virtutis via, qua ad beatitudinem capessendam eundum esset, tam immaniter a se invicem dissensere, & a Magistris discipuli, & a se ipsis discipuli abalienati sunt? Nisi quia ut homines erant, humanis ratiocinationibus ducebantur; captandæ gloriæ studio tumidi, quis altero sapientior, atque acutior haberetur. Nisi ergo Deo specialiter afflante, ac dirigente Codices suos exarassent Scriptores sacri; certe ut erant a se invicem & loco, & tempore diffiti, nullamque secum invicem collationem habuerant; nusquam mira illa consensione, atque concordia in eandem sententiam conspirassent.

Momentum probationis quintum petitur ex sanctissimis Legibus, atque Præceptis, quæ in utriusque Testamenti libris continentur. Cum enim Dei, qui hominem condidit, omnino sit, eumdem ad finem suum ultimum, & supernatulem dirigere, qui non alius ab ipso Deo est; Scripturas illas a Deo datas esse necesse est, quæ Leges, ac Præcepta hujusmodi tradunt recte vivendi, ad Deum tendendi, illique adhærendi, quæ humana Philosophia non tradit. Cum enim Philosophorum quidam dixerint, *mihi frui mea carne bonum est*; alii; *mihi frui mea mente bonum est*; alii; *mihi frui meis divitiis bonum est*: Illi soli, qui a Deo intus docente, vel per Legem Mosaicam, aut Evangelicam erudiente illuminati sunt, dicere potuere: *Mihi adhærere Deo bonum est*.

Momentum sextum petitur ex conditione virorum illorum, qui libros illos conscripsere. Ex ipsa enim scribendi ratione perspectum est, fuisse illos magna ex parte viros simplices, ac minime malos, nulla ad decipiendum, fallendumque arte instructos: fuisse illos magna ex parte a prima pueritia rudes, incultos, illitteratos, pastores, artifices, tabernarios, piscatores, qui cœlestem ac plane divinam, quam libris suis inseruere doctrinam, proprio marte confingere, & comminisci nequivissent, nisi eis divinitus stillata, & inspirata fuisset.

Probat id demum Scriptorum illorum bene plurium finis, & exitus: Mors scilicet ab iis fortiter tolerata, ut veritates, quas scripto tradiderant, inter mille supplicia tuerentur. Quod uti naturæ vires longe superat, divinitus datum æstimare par est.

His certe momentis summatim perstrictis, librorum Canonicorum divina inspiratio in aperto ponitur, quantum ad homines ratione utentes convincendos satis sit. Videndum modo, quas in oppositum nebulas offundant impii, ut divinam librorum illorum inspirationem inficientur. Quod erit subsequentis Prælectionis argumentum.

PRÆLECTIO II.

Adversariorum Momenta diluuntur.

CUm postremas Prælectiones nostras haberemus, eo nostra devenerat disputatio, ut de Scriptura Sacra, tanquam de prima Fidei nostræ regula diceremus; speciatim vero de Divina illius inspiratione, qua factum est, ut Scriptura Sacra utriusque Testamenti Fidei nostræ inviolata regula sit. Hanc porro Divinam Inspirationem cum jam satis superque adversus quoscumque illius oppugnatores probaverimus; illud unum nobis modo pristino officio restitutis reliquum est, ut Adversariorum momentis occurramus.

Quia tamen non una omnes Adversarii procedunt via, in impugnanda Sacrarum Scripturarum divina Inspiratione; imo non omnes earundem Scripturarum inspirationem oppugnant, sed alii alios inspiratos diffitentur, iccirco seorsim illos ac separatim ad audientiam advocabimus; ut quid illis malus genius contra Divinam Scripturarum Inspirationem afflavit, libere proferant.

Prodeunt itaque omnium primi Gentiles, qui Divinam utriusque Testamenti Inspirationem, maxime autem veteris oppugnant. Quocirca exprobant illi omnium primo Scripturarum veteris Testamenti obscuritatem; quæ talis & tanta est, ut in iis intelligendis & explicandis Delio semper natatore sit opus: quæ certe obscuritas, inquiunt illi, minime contigisset, si qui eos scripsere libros, Deo inspirante atque afflante scripsissent: maxime cum Deus noster lux esse dicatur, in qua tenebræ non sunt ullæ.

Miror ego, Gentiles eam nobis Scripturarum nostrarum obscuritatem objicere, quasi quæ Dei inspirantis, ac revelantis veracitatem, ac dignitatem minime deceat: cum ii potius Deorum suorum oracula obscurissima, impeditissimaque esse fateantur, eamque obscuritatem in Deorum suorum laude ponant: quasi semper in mysterio, & in ænigmate loqui debeant Dii sui; ut vel hoc pacto dictis suis & pronunciatis admirabilitatem concilient. Utcumque tamen res ipsa sit, de Scripturis nostris veteris Testamenti illud fateantur oportet Gentiles, nihil eas obscuritatis habere, in tradendis regulis morum, Fideique dogmatibus proferendis, quæ ab omnibus expresse atque distincte teneri debeant de necessitate salutis. De cætero si quam in aliis obscuritatem habent sacræ Litteræ Veteris Testamenti, hanc ab initio non habuere, cum primum Deo inspirante atque afflante sunt exaratæ, sed secutis inde temporibus obscuræ nobis evaserunt: idque multiplici ex capite, quod exponere modo convenit.

Primo: Quia lingua Hebraica, qua primo scripti sunt Libri veteris Testamenti, ingentem postea mutationem passa est in Babylonica captivitate, adeo ut deinceps vernacula Judæis ipsis esse desierit. Quo fato longe multa, quæ primum clara, pervia, nitida legentibus erant, obscura ipsis quoque Judæis evaserunt ob idiomatis mutationem.

Secundo: Quia lingua Hebraica ex prima sui origine litteris vocalibus caret, solisque constat consonantibus; adeo ut in arbitrio lectoris sit, quascumque libet vocales adjungere, ut litteras consonantes pronunciare possit. Ex variarum autem vocalium additione, diversa prorsus vox efformatur, diversam habens significationem. Exempli gratia, tres istæ litteræ consonantes, *Dalet*, *Beth*, *Rech*, hoc est *D. B. R.* solæ sunt exaratæ in textu Hæbraico *Jeremiæ cap.* 10. si consonantibus illis *D. B. R.* vocalem *A* bis interseras, legasque *Dabar* vox illa *sermonem* significabit: si vocalem *E* bis interseras, legasque *Deber* vox illa *mortem* significabit: si autem vocalem *A* & *E* interseras, legasque *Daber*, significabit *loquere*. Hinc ingens ille sacrorum Interpretum labor in figenda Hebraicarum vocum significatione, dum primigenium textum Hebraicum, Græce, aut Latine reddunt; cum varia plerumque significatio pendeat ex vocalium additione; quæ Interpretum arbitrio relicta est. Hac arte abusi sunt Hebræi posterioris ævi, ut nobis splendidissimum eriperent propheticum Oraculum de Christo Domino Crucifixo, *foderunt manus meas, & pedes meos Psal.* 21. cum enim *Foderunt* legamus nos, quia in Hebraico Textu legimus *Charù* additis scilicet vocalibus *A* & *U*; illi insigni fraude, additis aliis vocalibus *Chaari* legunt, hoc est *sicut Leo*, unde totus Prophetiæ sensus invertitur; *sicut Leo manus meas, & pedes meos*. Sed de his alias.

Tertio: Obscuri nobis veteris Testamenti libri secutis temporibus evaserunt, propterea quod ab eo tempore, quo scripti sunt, mutata sint regionum bene plurium, urbium, fluminum, animantium, arborum nomina: ea quippe mutatione factum est, ut, de quibus sæpissime sermo fiat, vix intelligamus.

Quarto: Obscuræ nobis secutis temporibus evaserunt Veteris Testamenti Scripturæ, quia antiquati sunt bene multi Judæorum ritus, & usus, praxes, & consuetudines immutatæ, ex quarum tamen notitia variorum Scripturæ Oraculorum intelligentia pendet. Quod ne gratis a me dictum putetur, cum sexcenta exempla dare facile foret, unicum dabo, ex quo cætera nosse liceat.

Nostis omnes, quam sint frequentes in Veteri Testamento loquendi formulæ, in quibus *portæ*, *portarumque* vocabulum usurpatur. *Psal.* 126. *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta. Ps.* 68. *adversum me loquebantur, qui sedebant in porta. Proverb.* 31. *laudent eam in portis opera ejus. Job.* 31. *Cum viderem me in porta superiorem*; & alibi sæpe *portæ*, *portarumquæ* vocabulum in proverbium venit. An non sunt hæc Sfingis Thebanæ ænigmatibus obscuriora? Clarescunt tamen ubi novimus fuisse olim apud Judæos in more positum, ut suprema Tribunalia, in quibus seniores Viri Judices judicia publica exercebant, Justitiamque pro potestate administrabant, in portis Civitatum constituerent. Quemadmodum secutis inde temporibus Romani eadem illa tribunalia in foro publico, ubi nundinæ fierent, resque venales prostabant, constituerunt. Quare quemadmodum Romani tribunalia illa, ex loco ubi tandem posita sunt, *forum* de more vocitarunt: Ita Judæi ex locis in quibus sua constituerant tribunalia illa ipsa *portam*, *portasque* vocabant. En vobis solutas illas, explicatasque phrases ænigmaticas, quæ non alios possunt male torquere, nisi qui priscos Judæorum usus ignorent. Nec dubitandum, quin sexcentæ veteris Testamenti loquendi formulæ, quæ ex prima facie obscuræ videntur, momento clarescerent, si priscos Judæorum ritus, praxes & usus notissimos haberemus.

Non

Non itaque obscuræ sunt Sacræ Scripturæ Veteris Testamenti, quod illis Deus non inspiraverit, non dictaverit, sed quod priscos Judæorum ritus, praxes, & usus ignoremus.

Altera Gentilium, & Manichæorum objectio contra Divinam Veteris Testamenti inspirationem ex eo petitur: quod multa indigna Deo contineat vetus Testamentum, quæque fabulam redoleant potius, quam veram historiam.

Quia tamen magni moliminis esset singula percensere, atque dissolvere, ea solum attingam, quæ primo, & secundo capite Geneseos, tanquam fabulosa, Deoque prorsus indigna judicantur a Sacrarum Scripturarum osoribus.

Primo ergo Serpentis cum Eva collocutio sugillatur: quæ iis iccirco fabulosa videtur & commentitia, quod brutum animal ratione destitutum Mulierem alloqui omnino nequiverit.

At si advertissent imprudentes, Serpentem Mulieris tentatorem Dæmonis arte locutum, fabulosam certe non reputassent hanc Serpentis collocutionem cum Eva: nam uti per Energumenos peregrinis quandoque idiomatibus loquitur Diabolus, eorum linguam movendo; ita & per bestiarum ora Dæmon idem loqui potest, aut etiam bonus Angelus earum linguas ad voces efformandas apte movendo; uti per Asinæ linguam locutum Angelum Scriptura prodit *Numerorum* 22. Sed de his fuse disputavimus, ubi de tentatione Primorum Parentum sermonem habuimus.

Secundo: inflicta pœna Serpenti, ob præstitum Diabolo ministerium ad tentandam Evam tamquam injusta & inepta reprehenditur: Injusta, quia uti ratione destitutum animal non peccat, ita castigari non debet. Inepta, quia proreptatio supra pectus illius naturalis cum esset, pro pœna infligi illi non debuit.

At nil plane quicquam ex hoc fictitii, ac fabulosi ab iis extundi potest. Quantumvis enim brutum animal utpote ratione destitutum in reatum nullum incurrere possit; nihilo tamen minus in majorem sceleris execrationem pœnæ interdum subeundæ imponuntur, uti clarissimo liquet exemplo *Levitici cap.* 20. *vers.* 15. *Qui cum jumento & pecore cojerit*, inquit Deus, *morte moriatur: pecus quoque occidite*; atque ita & pœna serpenti, ad majorem sceleris a primis Parentibus commissi detestationem, inflicta fuit.

Tertio: Arbor Scientiæ boni & mali, ut fabula deridetur, quia effectus spiritualis a causa corporea produci minime potest. Nec minus feliciter conjectantur, qui id effutiunt.

Non enim ex indita conferendæ scientiæ naturali virtute nomen accepit hæc Arbor; sed ab eventu primis Parentibus consecuto id nominis habuit. Quia Protoparentes ex ea contra Divinum præceptum edendo e pristino statu decideruntfactæque sibi a Deo interminationis veritatem agnoverunt, *in quacumque die comederitis, morte moriemini*.

Quarto tandem: Quatuor illa Flumina e Paradiso Terrestri primum egressa perinde fabulis accensentur. Quomodo enim potest, ajunt isti, Phison seu Ganges, Gehon seu Nilus, Tigris, & Euphrates, quibus sua nunc supersunt primigenia nomina, contrariis alveis defluere? Quomodo fabulosum iis esse videtur, decurrere posse Gangem in intima India ab Euphrate, & Tigris ultra quam dici potest remotissime? Commentitium perinde, Nilum in extrema Africa, ab Austro in Septentrionem? Euphratem autem & Tigridem a Septentrione in Austrum decurrere?

At neque ex hoc contrariorum Alveorum defluxu fabulosi quicquam extunderent, si cum Theodoreto observarent *Interrogatione* 32. *in Genesim*, per Diluvium istorum fluminum origines & alveos pristino suo loco motos esse: alioque demum fluere, quam primitus cœperunt. Sed non est cur in his fusius immoremur, dum *in Tractatu de Paradiso Terrestri* satis, & abunde de his omnibus disseruimus.

Ea itaque statione dimissa, utpote iniquiori, ac male tuta, alio se recipiunt miseri recutiti, ut Divinam sacrarum Scripturarum inspirationem impugnent.

Ajunt enim, credi minime posse, libros veteris Testamenti fuisse a Deo sacris Scriptoribus inspiratos, cum in hisce tot & tanta nefanda scelera referantur, Lothi & Judæ incestus; Noemi ebrietas: Davidis adulterium ac homicidium: Salomonis libidines & idololatria; Patriarcharum Poligamia; Abrahæ & Jacobi mendacia; aliaque longe multa.

Addunt etiam in desperatæ causæ præsidium, quod in Veteri Testamento Christus & Sancti Martyres maledicuntur: *ad Galat.* 3. *vers.* 13. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*. Maledicuntur & Virgines. *Deut.* 25. *Maledictus omnis, qui non suscitaverit semen in Israel*.

Non est tamen difficile utrumque refellere: Ad id ergo, quod primo loco positum est, dico, quod alia referuntur sacris in Litteris, ut aperte damnentur: alia referuntur duntaxat, nec tamen damnantur. Proindeque, si qui ea nefanda scelera perpetrarunt, alicubi sacris in Litteris commendantur, laudantur, celebrantur, non ob ea certe laudantur, sed ob alia ab iisdem gesta quibus tandem hi meruerunt. Stoliditatis igitur genus est, libros veteris Testamenti ex hac parte uti fabulosos respuere.

Quod vero ad secundum objectionis caput pertinet; Responsio in promptu est, nimirum maledictum esse, qui pendet in ligno in suorum scelerum pœnam; non eum qui pendet, ut alienorum scelerum pœnam luat, ut Christus; aut ut testimonium perhibeat veritatis, ut Martyres.

Similiter etiam maledictum esse, qui non suscitaverit semen in Israel odio propagationis seminis a Deo benedicti, ut fecit Onara; non qui non suscitaverit studio castitatis, ut fecere Prophetæ bene multi.

Ex quibus omnibus liquet, quam turpiter illi fallantur & fallant, qui sacros Veteris Testamenti libros, uti fabulosos, & commentitios ostentant.

PRÆLECTIO III.

Libri Veteris Testamenti propugnantur contra Faustum & Adimantum Manichæos.

IIS solutis argumentis, quibus Gentiles divinam Veteris Testamenti inspirationem soliti sunt oppugnare; ad ea nunc argumenta diluenda progredimur, quibus Faustus & Adimantus omnium Manichæorum stultissimi hoc idem vetus Testamentum, non modo non inspiratum a Deo Optimo Maximo, contendebant; sed a malo genio, imo ab altero Deo natura sua malo, atque crudeli inspiratum, impiissime blasphemarunt. Hæc sunt numero nimis multa a Fausto & Adimanto undecumque corrasa, quibus distincte reponere præ temporis angustia non possumus; iccirco sex tantum, aut septem ex iis omnibus seligemus, quibus pro modulo nostro tenebimur satisfacere; Cæterorum vero solutionem apud Augustinum quærendam relinquemus, qui totam illam ineptissimorum

rum argumentorum farraginem confutavit libris bene multis contra Faustum Manichæum adornatis.

Primum igitur momentum repetunt Manichæi, quod Deus Veteris Testamenti auctor & conditor furtum præceperit *Exodi* 2. jusseritque Ægyptios prætiosissima sua supellectili spoliari, dum Filiis Israelis jussit, ut ab Ægyptiis mutuo acciperent vasa aurea & argentea.

Ad cujus resolutionem respondeo; furtum minime fuisse illud a Deo præceptum; tum quod justa illa fuerit laborum merces & compensatio; tum quod cum sit Deus summus bonorum omnium Dominus, pro arbitrio potuit, illorum dominium ab Ægyptiis ad Israelitas transferre. Proindeque nil quicquam contra Divinam Librorum veteris Testamenti inspirationem extundere possunt.

Secundum dein repetunt momentum ex eo quod Deus in hisce libris injuriarum acceptarum vindictam fieri jusserit, modo fieret ad æqualitatem: *Exodi* 21. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede*, quod certe legi charitatis repugnat.

At non advertunt imprudentes, non fuisse eo loci præceptam vindictam, sed positum fuisse vindictæ modum, ne scilicet ultra mensuram fieret, quandocumque fieret; & hoc ad duritiem cordis reprimendum fuisse præceptum.

Tertium petunt ex eo quod Veteris Testamenti Deus, immani plane crudelitate delendos, occidendosque ad unum jusseris Amorræos, Pherefæos, Chananæos, Jebusæos, aliosque Terræ promissæ populos, qui nihil unquam Judæis mali intulerunt. *Exodi* 23.

Sed hujusce næniæ confutationi satis est si dicamus, Deum utpote vitæ & mortis arbitrum, ita præcipere potuisse in pœnam Idololatriæ, aliorumque nefandorum criminum, quibus populi illi omnes immersi fuerant: etsi forte nullam illi Israelitis injuriam intulissent; unde Israelitæ fuerunt divinæ tantum justitiæ administri innocentissimi.

Paris insulsitatis est aliud, quod desumunt, momentum ex eo, quod peccata Patrum ad tertiam usque, & quartam generationem castiget in filiis. *Exod.* 20. *Ego sum Dominus Deus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me*: quod certe ingentis crudelitatis est, & legibus æquitatis plane repugnat. Deus enim castigat peccata Patrum in filiis, qui eandem parentum perversitatem imitari voluerint. Non est cur igitur quidquam ex eo Oraculo contra Divinam Librorum veteris Testamenti inspirationem desumant.

Inquient fortasse: si de filiis ergo in parentum perversitate perseverantibus istud oraculum intelligi debeat, cur non peccata castigari dicuntur in filiis usque ad centesimam generationem & ultra; cum si vel centesima filiorum generatio in parentum perversitate perseveret, ea proinde castigetur?

In promptu responsio est. Sic certe fit, & ad centesimam usque generationem & ultra filii paternæ iniquitatis imitatores a Deo justo Judice castigantur; tertia tamen, & quarta generatio in eo Dei Oraculo notatur tanquam terminus vagus & indefinitus; proindeque ineptissimum est ex eo Divino contextu, Deum crudelem dicere, & contra æquitatis leges operantem.

Quintum & ultimum ex eo delibant momentum, quod habetur *Amosi* 3. *Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit*. Et *Isaiæ* 45. *Ego Dominus . . . . faciens pacem, & creans malum*. Quibus verbis se omnis mali auctorem profitetur Deus veteris Testamenti auctor & conditor, cui addere solent celebre illud Apostoli dictum 2. *ad Corinth. cap.* 12. ubi vetus Testamentum *ministratio mortis & damnationis* appellatur.

Facile tamen est utrumque refellere. Ad primum enim dico, loca illa non de malo culpæ, sed de malo pœnæ esse intelligenda, præter quam quod hæc ipsa mala pœnæ non infert ipse per sese, sed per accidens & causa nostri: cum de se sit ipse bonus, de nostro justus. Ad secundum respondeo tale quidem fuisse vetus Testamentum, non per sese, sed ex Occasione: quia lex Vetus non ad peccatum impellebat, sed humana cupiditas occasione accepta ex lege peccati malitiam ostendente, gratiamque minime conferente magis excitabatur & irritabatur. Ita Augustinus *lib.* 2. *contra Adversarium legis & Prophetarum cap.* 7.

Certum sit igitur, indubitatumque, libros Veteris testamenti fuisse a Deo sacris illorum Scriptoribus inspiratos. Nunc illi mihi ex adverso refellendi veniunt, qui divinam librorum Novi Testamenti auctoritatem, prout possunt, impugnant. Hos Exercitatione proxima pro suis meritis exagitabimus.

PRÆLECTIO IV.

Quid Judæi adversus divinam auctoritatem, atque Inspirationem librorum Novi Testamenti, objicere soleant?

CUm Veteris Testamenti libros divina auctoritate pollere, Deoque afflante, & aspirante fuisse conscriptos, Judæi una nobiscum firmissime teneant; nullo meliori graviorique momento pugnare se posse arbitrantur, ut novi Testamenti libros Divina auctoritate exuant, ac sine Dei inspiratione conscriptos probent, quam si istos illis adversari, ac veluti ex diametro repugnare nobis ostendant. In hoc igitur totus illorum labor intentus est, ut eam inter duo Testamenta repugnantiam, ac dissonantiam tam in moralibus, quam in physicis, seu potius historicis, productis passim exemplis, nobis ostendant.

Ea nos exempla ad trisim vocabimus, novumque Testamentum nulla prorsus ratione cum Veteri pugnare demonstrabimus; exordio a physicis seu potius historicis ducto, de Moralibus alio loco dicturi.

Ex *primo* itaque *Matthæi capite*, dissonantias longe plures in medium produnt, in quibus Novum Testamentum cum Veteri collidere putant.

Prima dissonantia ita se habet: Apud Matthæum *Cap.* 1. *Joram genuit Oziam*: 4. *autem Reg. libro Cap.* 8. & 11. Joram genuit Ochosiam, Ochosias genuit Joas, Joas genuit Amasiam, Amasias genuit Oziam. Tres itaque gradus genealogici apud Matthæum omittuntur.

At nec est illa proprii nominis dissonantia, nec Matthæi propositio *Joram genuit Oziam* absolute falsa est. Quia Joram sin minus *immediate*, ut ajunt, at saltem *mediate* Oziam genuit. Sicut enim ex Sacrarum Scripturarum formula nepotes, ac pronepotes filii dicuntur avorum, & proavorum (ut dum Christus dicitur filius David; Judæi filii Abrahæ) ita avi, proavique dici possunt genuisse nepotes, ac pronepotes. *Isaiæ* 51. *Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos*, quamquam ætate Isaiæ annos circiter mille trecentos ab Abrahamo, & Sara Judæi numerent. Cur autem tres illi intermedii progenitores a Matthæo silentio missi fuerint, Ochosias, Joas, & Amasias, moralis ratio est: quia tres illi Reges erant ex progenie Achabi: Joram enim genuit Ochosiam ex Athalia filia Achabi: Deus autem Achabi progeniei maledixerat usque ad mingentem ad parietem 3. *Reg. cap.* 22. ideoque non erant in Christi genealogia recensendi. Uti plane Tribus Dan in recensione *signatorum ex omni Tribu filiorum Israel* prætermissa est *Apocal. cap.* 7. quia hæc a Dei cultu defecerat, & sese gentibus immiscuerat; *Judicum* 18. Ideo tamen secuti deinceps Achabi posteri in Christi genealogia sunt recensiti, quia Dei maledictio, filiis interminata ob peccata Patrum non protenditur ultra tertiam & quartam generationem: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me*.

Altera dissonantia hujusmodi est: Apud Matthæum *Josias genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis*. Ubi duplex videtur erratum. 1. quia Josias non genuit Jechoniam, sed Joachin; Joachin vero genuit Jechoniam, 4. *Reg. Cap.* 24. & 25. unde gradus unus genealogicus videtur omissus. 2. quia Josias occubuit ante transmigrationem Babylonis, *lib.* 2. *Paralip. Cap.* 34. adeoque Jechoniam & fratres ejus generare non potuit *in transmigratione Babylonis*.

Missis implexis, obscurisque variorum Interpretum solutionibus idem ferme repono, quod antea; gradum unum fuisse omissum, at justa de causa, & illæsa Evangelica veritate. Justa inquam, de causa, quia Joachin Josiæ filius, & Jechoniæ, seu Joachini secundi pater, vir nequissimus fuit, & ob ingentia scelera sepultura Asini extra portam Civitatis sepultus est, Jeremiæ *Cap.* 22. *v.* 19. idcirco in Christi progenitorum serie silentio mittendus Matthæo visus est, perinde ac Ochosias, Joas, & Amasias, de quibus antea dicebamus. Illæsa quoque Evangelica veritate id factum est: quippe stat semper, Josiam genuisse Jechoniam non immediate quidem, ut ajunt, sed medio Joachino filio suo. Quæ loquendi ratio, ex Sacrarum Scripturarum usu maxime est. Neque refert, si dixeris, Jechoniam, seu Joachinum secundum, (binomius enim fuit) haud multo meliorem fuisse Joachino primo patre suo; adeoque pari ratione fuisse omittendum. Ne enim omitteretur & ipse, peculiaris ratio obfuit: quia dignitas Regum Juda ex stirpe David in eo finem habuit; idcirco peculiaris ipsius mentio facienda fuit. Huc adde, non deesse, qui putent, omissionem illam Joachini Josiæ filii a Matthæo ipso consulto factam non esse, sed Scribarum, & Amanuensium mendum id esse. Testatur enim Faber Stapulensis, a Joanne Maldonato laudatus, legisse se Codicem Græcum ita referentem: Josias autem genuit *Joachin, Joachin autem genuit Jechoniam*. At num hæc verius peculiaris illius Scribæ audacia fuit, qui Joachinum de suo adjecit? Quod autem additur a Matthæo *in transmigratione Babylonis*, non refertur ad *genuit*, quasi Josias genuerit Jechoniam, etiam medio Joachino, in transmigratione Babylonis: objerat enim diu ante, quam transmigratio fieret: sed refertur ad *Jechoniam, & fratres ejus*, quasi dicat: Josias genuit Jechoniam, & fratres ejus, qui fuerunt in transmigratione Babylonis.

Tertia dissonantia, quam produnt, hæc est. Legimus apud Matthæum: *Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel*; Jeremiæ vero *Cap.* 22. *v.* 30. Jechoniam sterilem legimus: *Pone*, inquit, *virum istum sterilem*; Quomodo ergo genuit Salathielem? Rursus *apud Lucam cap.* 3. Salathielem legimus Neri filium: *Salathiel, qui fuit Neri*. Demum *lib.* 2. *Paralip. cap.* 35. Salathiel genitus dicitur in ipsa transmigratione Babylonis: non itaque post transmigrationem.

Ad Singula Capita responsio in promptu est. In primis enim Jechonias absolute sterilis dictus non est, cum multos habuerit filios *lib.* 1. *Paralip. cap.* 3. *v.* 17. recensitos, ac ipsum, de quo hic agitur, Salathielem; sed moraliter, ut ita dicam, quod nullos de stirpe sua Regni hæredes, & successores habuerit; quod ex ipsis Jeremiæ verbis liquet aperte: *Scribe virum istum sterilem, virum*, qui *in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Judæa*. Ad secundum reponunt nonnulli, Salathielem, de quo Lucas, alium esse ab eo, de quo Matthæus. Ille enim, inquiunt, filius fuit Neri a Davide descendens per Nathanem; iste filius Jechoniæ a Davide descendens per Salomonem. At si sic est, nullo jam certo documento evincemus Christi progenitores a Luca notatos, infra Salathielem, a Davide etiam per Salomonem esse orituros, *Reg.* 2. *cap.* 7. quare reponunt alii, Salathielem, de quo Matthæus, eundem ac illum esse, de quo Lucas; filium tamen natura fuisse Jechoniæ, adoptione vero filium Neri; quod mortuo Jechonia vero illius parente, a Nerio fuisset adoptatus: adeoque Lucam adoptionem spectasse potius, quam naturam. Quod quis credat? Alii demum Salathielem Neri filium, seu potius nepotem dicunt ex parte matris; quod hæc Neri filia esset. At cur, quæso, Lucas relicto patre ad maternum genus lineam genealogicam detorsisset? Quare verius reposuerim ego, Salathielem secundum naturam filium fuisse Jechoniæ; secundum legem Leviratus filium Neri: quod Nerio sine liberis extincto, Jechonias cognatus ejus relictam illius viduam uxorem duxerit, e qua Salathielem suscepit. Tertium antilogiæ caput levius est, quam ut quemquam morari possit: Matthæus enim Salathielem genitum scribens *post transmigrationem Babylonis*, eo nomine actum ipsum intellexit transmigrandi e Judæa in Babylonem: Auctor vero *lib.* 2. *Paralip.* in ipsa transmigratione genitum scribens, totum tempus intellexit commorationis in Babylone, quæ annos septuaginta perduravit. Per id enim temporis Jechonias genuit Salathielem. Non itaque invicem collidunt Matthæus, & Scriptor Paralipomenon.

Quarta dissonantia hæc est. Apud Matthæum *Salathiel genuit Zorobabel*. Contra vero *libr.* 1. *Paralip. cap.* 3. Zorobabel fuit filius Pedajæ, non Salathielis.

Sic sane: Verum Zorobabel, de quo sermo est *lib.* 1. *Paralip.* alius longe est ab eo, de quo sermo est in genealogia Salvatoris. Quare nil mirum, si alius ei pater assignetur. Zorobabel, de quo Matthæus, ille ipse est, de quo sermo est apud Esdram, & Aggæum, qui semper Salathielis filius nuncupatur. 1. *Esdræ cap.* 3. *v.* 2. & 8. *Cap.* 5. *v.* 1. *Aggæi Cap.* 1. *v.* 12. *Cap.* 2. *v.* 3. Certe duorum Zorobabelium distinctio maxime patet, quod illis diversi assignentur filii. Zorobabelis enim Evangelici filius dicitur Abiud: Alterius Zorobabelis filii dicuntur Mozola, & Hanania, *lib.* 1. *Paralip. cap.* 3.

Quinta dissonantia. Apud Lucam proximos Christi avos ita notatos legimus: *Qui fuit Heli, qui fuit Mathan, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*. Nonnulli tamen Patres, Gregorius Nazianzenus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, interdum duobus mediis prætermissis, ita simpliciter legunt: *qui fuit Heli, qui fuit Melchi*.

Sit ita vero: Ergo ne Lucas in vitio est, si qui forte Patres aliquando aliter legerint? Aut etiam

etiam, si superis placet, ex Patribus Evangelium emendabimus, ac non potius Patres ex Evangelio? Si quis ergo alicubi legerunt aliter, nonnullosque inter scribendum genealogicos gradus prætermisere; id, vel oscitantia factum est, vel quod in mendosos fortasse Codices, si qui tamen sunt hoc in capite, inciderint aliquando.

Sexta & ultima dissonantia gravior cæteris visa est. Apud Lucam inter Patriarchas, qui transacto Diluvio vixere, Arphaxad ponitur Cainanis pater, Cainan pater Sale: *Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*: cum contra in libris Mosaicis, aliisque Veteris Testamenti, non uno in loco, sed pluries, Cainane prætermisso, Arphaxad pater Sale fuisse dicatur. *Gen. cap.* 10. *v.* 24. *cap.* 11, *v.* 12, *&* 13. *Lib.* 1. *Paralip. Cap.* 1. *v.* 18. Neque enim reponi potest, quod nuper recentiorem aliquem respondisse video: Arphaxad mediate, ut ita loquar, genuisse Sale, nempe Cainane intermedio; uti dum Joram Oziam genuisse dicitur: quandoquidem *Gen. cap.* 11, *v.* 12. expresse dicitur: *Arphaxad vixisse triginta quinque annis, & genuisse Sale*; quæ loquendi formula nullum mediæ alicui generationi locum relinquit. Si enim Arphaxadum inter, & Sale, medius fuit Cainan ipsius Sale genitor; non jam Arphaxadus triginta quinque duntaxat annorum fuit, dum Sale genitus est, sed longe plurium; iis videlicet, insuper additis, quos Cainan ejus filius, dum Sale genuit, numerabat.

Quapropter alterum fateri cogimur, vel mendum irrepsisse in Veteri Testamento, ex quo intermedia Cainanis generatio detracta fuerit; vel irrepsisse mendum in Evangelio Lucæ, ubi perperam adjecta fuerit; quia tamen facilius est, Scribarum audacia mendum semel tantum irrepsisse Lucæ 3. per levem additionem præpostere factam; quam irrepsisse omnino patet in Veteri Testamento per studiosam generationis unius detractionem; tot enim vicibus ibi legimus Arphaxad genuisse Sale, omisso Cainane: probabilius multo est, Cainanis generationem Arphaxadum inter, & Sale in Lucæ Evangelio a Scribis, & Amanuensibus fuisse insertam. Id ut asseram, alia multa me movent; quamquam vel hoc unum, & si deessent alia, abunde sufficeret. Quia nulla Cainanis illius inter Arphaxadum & Sale mentio occurrit in Textu Hebraico Geneseos & Paralipomenon, nulla in Versionibus, Arabica, Chaldaica, Samaritana, ac etiam Vulgata nostra. 2. quia Berosus Chaldeus, Eupolemon, Alexander Polyhistor, quorum fragmenta extant apud Josephum *lib.* 1. *Antiquitatum cap.* 8. & apud Eusebium *lib.* 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cainanem illum aperte rejiciunt. Quippe qui Abrahamum decima post diluvium generatione vixisse, concorditer scribunt; qui tamen, numerato Cainane, undecimus esset. 3. Quia Scriptores Hebræi vetustiores, & insigniores, Josephus & Philo, eumdem in texenda Patriarcharum serie secundæ ætatis prætermittunt: uti etiam Eusebius Cæsariensis in *Chronico*; ubi annos veterum Patriarcharum enumerat ex triplici textu, Hebraico, Græco, & Samaritano. 4. Quia tametsi in hodierna septuaginta interpretum Versione Cainanis generatio legatur; liquet tamen aliena, & interpolatrice manu fuisse illic infartam, & a primigeniis illius exemplaribus abfuisse: cum Philo Judæus, Josephus, Julius Africanus, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Origenes, Epiphanius, qui septuaginta Interpretum calculos sequi solent, Cainanem illum in stemmate genealogico Patriarcharum omittant: notetque Procopius Gazenus *ad Caput* 11. *Gen.* Cainanis generationem in versione Septuaginta Interpretum obelo fuisse confixam, in Hexaplis Origenis: *Hebraica* inquit, *veritas habet, Salem genitum esse ab Arphaxad; quæ deinde in medio ponuntur, obelo signata visuntur*. 5. Demum, quia abest idem ille Cainan e nonnullis pervetustis Codicibus Græcis, ipsius etiam Evangelii Lucæ, ac maxime a Codice Græco Latino quarti, ut plerique putant, Ecclesiæ sæculi omnium probatissimo in Galliis olim asservato, quique nunc extat in Bibliotheca Cantabrigensi. Unde maxime liquet, ne quidem apud Lucam extitisse primitus Cainanem illum; sed deinceps temere, ac per summam audaciam fuisse insertum.

Sed extat, inquis, Cainan ille in Vulgata S. Lucæ Versione, quæ a Concilio Tridentino ut authentica probata fuit. Ita sane: sed abest, inquio ego, in vulgata Veteris Testamenti Versione, quæ perinde authentica est ejusdem Concilii Tridentini judicio. Alterutro itaque loco mendum irreptitium esse, necesse est, quantacumque sit illa vulgatæ Versionis authentia: multiplex tamen in Veteri Testamento, simplex in Novo mendum erit: nam quater illic deest Cainan, istic semel abundat. Imo longe gravius illic mendum erit, patentiorque lacuna. Cum enim Moyses *Genes.* 11. non modo narret generationes omnes Patriarcharum a Noe usque ad Abraham; verum etiam distincte notet quoto quisque vitæ suæ anno filium genuerit, quotve subinde annis post genitum filium supervixerit, si qua illic, Cainanis occasione, mutilatio facta est; consequens erit, non modo Cainanis generationem fuisse detractam, verum etiam detractos perinde annos, quos Cainan numeraret, dum genuit Sale, annosque perinde, quos post Sale genitum ad mortem usque numeravit. Si quid ergo vulgatæ Versionis authentia nos movet, ne eam sub aliquo mendo cubare de facili concedamus; quis non videat concedendum potius leve, simplexque mendum in Evangelio Lucæ, quam multiplex graviusque in Moysis Pentatheuco? Ut fatear nihilominus, quod res est; nihil istius generis menda, ubicumque contigerint, vulgatæ Versionis authentiæ officiunt. 1. Quia constat ex Criticis universis, ac ex ipsa Præfatione Clementinæ Bibliorum correctioni præfixa, leviora hujusmodi menda nonnulla, etiam ad præsens in ea Versione reperiri; quorum Scriptores aliqui elenchum, & indicem texuerunt. 2. Quia etiam postquam probata fuit ut authentica in Concilio Tridentino, a variis mendis levioribus repurgata fuit a Sixto V. & Clemente VIII. 3. Quia ad illius authentiam satis est, si nihil contineat contra fidem, aut bonos mores; nihil in gravioribus aberret a vero. 4. Quia a Concilio Tridentino authentica dicta est comparate ad reliquas Versiones; non quod fontibus Hebraicis, ac Græcis præferenda sit, ad quorum potius fidem publica Ecclesiæ auctoritate emendari posset. Quæ omnia, ne quis forte audacius dicta putet; legat, si per otium vacat, Andream Vega *lib.* 15. *de Justif. cap.* 9. Alphonsum Salmeronium *Proleg.* 3. *in Evang.* Robertum Bellarminum *lib.* 2. *de Verbo Dei Cap.* 10, *&* 11. Sixtum Senensem *lib.* 8. *Biblith.* Card. Pallavicinum *lib.* 6. *Hist. Concilii Tridentini cap.* 17. Serrarium *in Prolegom. cap.* 19. *quæst.* 18.

Restant alia multa antilogiarum expedienda momenta; sed quoniam satis otii & temporis nobis in præsentia non suppetit; ideo in sequentibus expediemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Alia multa momenta ex Scripturæ locis petita diluuntur.

MEdiam duntaxat suscepti operis partem expedivimus, dum eas longe plures ex primo Matthæi capite delibatas dissonantias conciliavimus. Reliquum modo est, ut eas, quæ ab aliis pluribus Scripturarum capitibus congeruntur, conciliemus. Quare has in certas veluti classes distribuemus, quo facilius, & commodius in concordiam a nobis revocentur.

Primum itaque momentum petunt ex *cap.* 2. *Marci*: ubi ita loquitur Christus. *Nunquam legistis, quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esuriit ipse, & qui cum eo erant? Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe Sacerdotum, & panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi Sacerdotibus*. Attamen *lib.* 1. *Reg. cap.* 21. id contigisse dicitur sub Abimelecho Patre Abjatharis.

Argute sane atque subtiliter disputatum; sed nihil ad institutum. Nulla prorsus citato in loco repugnantia est, idque perinde factum dici potest sub Abimelecho, & sub Abiathare illic quoque præsente, nondum quidem Principe Sacerdotum, sed qui postea principatum illum obtinuit; quique jam tunc jure natalium Sacerdotum Princeps destinatus erat, titulumque tenebat.

Alterum adversus divinam librorum Novi Testamenti inspirationem importuni osores desumunt ex eo *Actorum cap.* 7. ubi dicitur, Joseph accersivisse in Ægyptum omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque; *mittens autem Joseph accersivit Jacob Patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque. At Genesis* 46. *v.* 27. & *Exodi* 1. septuaginta dumtaxat animæ fuisse dicuntur. *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta*: ita *Genesis* 46. *Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta*: ita *Exodi* 1.

Sed neque ex hoc loco ulla ab iis potest repugnantia desumi, cum omnia facile conciliari possint. Moyses enim solas numerat animas, quæ una cum Jacobo Patre in Ægyptum descenderunt, duosque præterea Josephi filios Ephraim & Manasse, qui re ipsa in Ægypto sunt nati. Lucas vero Actorum Scriptor quinque addidit filios Ephraimi, & Manassis, in Ægypto quoque subinde natos; qui licet rigorose loquendo descendisse dici non possint, ad eam tamen cognationem pertinebant, quæ descendit. Unde & a septuaginta Interpretibus septuaginta quinque dicuntur animæ.

Succedit eo in ordine momentum alterum longius arcessitum, quo nos impetunt Adversarii. *Actorum* 7. ajunt hi *v.* 15. ita legimus. *Descendit Jacob in Ægyptum, & defunctus est ipse, & Patres nostri. Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii Sichem*. Ubi multiplex reperitur erratum, enatum ex promiscua confusione duarum emptionum distinctissimarum, quæ in Genesi recensentur. Abraham enim ab Ephrone filio Seor agrum emerat in sepulturam quadringentis siclis argenteis probatæ monetæ in Hebron: *Genesis* 23. *v.* 16. Jacob vero secutis inde temporibus in officium pariter sepulturæ emit partem alterius agri a filiis Hemor Patris Sichem centum agnis in Salem Urbem Sichimorum: *Genesis* 33. *v.* 19. S. Stephanus porro utramque emptionem promiscue confundit, Abrahamumque emisse dicit a filiis Hemor, qui reipsa emerat ab Ephrone: Hemorem filium Sichemi nuncupat, cujus potius Pater erat; ac demum emptam ab Abrahamo sepulturam ponit in Salem, quæ erat in Hebron.

Ad hujus Historiæ integram veritatem retinendam, resque omnes apte distinguendas, dicendum putarem: Descendit Jacob in Ægyptum, & defunctus est ipse, & Patres nostri, & translati sunt: Jacob quidem in Hebron, Joseph autem in Salem. Et positi sunt, Jacob quidem in Hebron, Joseph autem in Salem. Et positi sunt, Jacob quidem in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti ab Ephron Hetheo: Joseph autem in sepulchro, quod emit Jacob centum agnis, a filiis Hemor Patris Sichem.

Hoc ergo ablegato futili fundamento ad alia refellenda momenta animum convertamus, quibus elidere libros Novi Testamenti plus æquo audaciores nituntur.

Nonnulla congerunt ex falsatis, ut ipsi ajunt, quibusdam citationibus quæ in Evangeliis occurrunt.

Desumunt itaque primam ex *Matth. cap.* 2. ubi legitur de Christo Domino: *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur*. Quod tamen, ajunt isti, nusquam legitur.

Nihil tamen ista nos movet, ut a statuta sententia resiliamus. Imo cum Nazaræus sanctum, & Domino consecratum sonet, eo collimant Scripturæ omnes, ut Christum sanctum fore, & Domino consecratum significarent, uti observavit Hieronymus. Commentum est igitur hoc, quod ab iis tam fidenter obtruditur.

Citationem alteram petunt ex *Matth. cap.* 27. ubi habetur: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel*. Quod ajunt isti, non in Jeremia legitur, sed in Zacharia *cap.* 11.

Verum nec hoc quidem incommodat. Matthæus enim nullius distincti Prophetæ nomen eo loci posuit: Scriba autem aliquis oscitans de suo Jeremiæ nomen apposuit. Ita Origenes *Tract.* 35. *in Matthæum*. Eusebius *lib.* 10. *demonst. cap.* 4. Rupertus in *Mat.* quibus favent plures antiqui Codices nullum nomen præferentes.

Addiderim etiam, eam forte sententiam ex aliqua Jeremiæ Prophetia fuisse desumptam non scripto quidem, sed memoria hominum consecrata. Ita Grotius, aliique nonnulli.

Alter, quem ex Evangelio desumunt, scrupulus est, quod nimirum *Marci cap.* 1. legatur. *Sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce Ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te. Vox clamantis in Deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Quæ tamen verba in Isaia non leguntur, sed in Malachia.

At hujc scrupulo eventilando satis est si dicamus, verba illa sin minus priora, at saltem posteriora esse Isaiæ; cui addam etiam D. Hieronymi observationem dignissimam, Isaiæ nomen Scriptorum vitio adjunctum fuisse, cum antea nullius Prophetæ nomen hic scriptum esset.

Ultimum tandem, librorum Novi Testamenti depressoribus Judæis, subministrat momentum, quod legitur *ad Hebræos* 9. In arca Testamenti tria fuisse dicuntur: *Urna aurea habens manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Testamenti*: cum vice versa *lib.* 3. *Reg. cap.* 8. legatur. *In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses*.

At & hoc ludicrum est, ac desperatæ causæ aper-

apertissimum argumentum. Loquitur enim Apostolus de tempore Moysis, quo primum arca in Tabernaculo collocata est; auctorem vero Regum de tempore Salomonis, dum arca in templum inducta est: cui addi pariter posset, quod alii reponunt, nimirum in interiori parte arcæ nonnisi tabulas legis extitisse etiam tempore Moysis, ad latus autem fuisse quoque virgam Aaronis & Mannæ Urnam.

Fateantur itaque, velint, nolint recutiti Judæi, libros Novi Testamenti Deo afflante & inspirante fuisse conscriptos; alias figmenta sua jampridem ebibita novis, iisque turpioribus, cumulabunt.

PRÆLECTIO VI.

De divinarum Scripturarum inspiratione adversus Protestantes Episcopium, Spinosam, Grotium, nonnullosque Catholicos Scriptores.

PRopugnata per dies aliquot, sacrorum utriusque Testamenti librorum divina auctoritate, divinaque, qua conscripti sunt, inspiratione adversus Gentiles Judæosque fæliciter defensata: illi mihi nunc confutandi veniunt, qui divinam illam sacrorum librorum inspirationem certis limitibus circumscripsere, & ad aliquas librorum illorum partes coarctarunt.

Fuerunt enim ex Protestantium grege nonnulli Episcopius, Spinosa, Grotius, quos de proximo nonnulli etiam e Catholicorum grege imitati sunt Professores.

Nos utramque sententiam non reicimus modo, verum etiam execramur, uti erroneam, ac hæresi proximam: firmiterque tenendum existimamus, sacros utriusque Testamenti Scriptores, speciali afflatu ac directione Spiritus Sancti fuisse donatos, atque adjutos in omnibus prorsus, ac singulis conscribendis, quæ illorum libris quomodolibet continentur: Cujusvis generis illa sint, & conditionis: hoc est sive sint illa naturalia, seu forte ab illis ipsis aliunde cognita sint, proprioque experimento comprobata.

Id porro probare luculenter atque invicte non est admodum operosum; cum rationes longe multas in Scriptura Sacra habeamus. 2. *ad Timoth.* 3. *Omnis Scriptura divinitus inspiratæ, utilis est ad docendum.* 1. *ad Thessal. cap.* 2. *Gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis Verbum auditus Dei, accepistis illud non ut Verbum hominum, sed (sicut est vere) Verbum Dei.* 2. *Petri cap.* 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines. Joannis* 14. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.*

Quod attamen ille a cæteris Apostolis, qui Cœnæ adfuerant, addiscere potuerat.

Nec desunt desumptæ ex Patribus probationes propemodum infinitæ, qui Canonicos Scriptores ita in scribendo afflatos docent, ut ne minimo in apice falli potuerint. S. Clemens *in Epist. ad Corinth.* S. Justinus *Apologia* 2. Origenes *lib.* 5. *contra Celsum;* S. Irenæus *lib.* 1. *contra hæreses cap.* 46. S. Epiphanius *hæresi* 76. S. Joan. Chrysostomus *homil.* 37. *in Genesim.* S. Hieronymus *Epist.* 8. S. Gregorius Magnus *in Proemio in lib. Job.* S. Augustinus *lib.* 1. *de consensu Evangelico cap. ult.*

Accedit ad positæ assertionis probationem labor, & diligentia Patrum in exponendis, conciliandisque iis etiam Scripturarum locis, in quibus videtur errorem subesse in rebus ad profanam historiam, aut ad scientias naturales spectantibus: quod illis supervacaneum fuisset, nisi in iis quoque scribendis illos perinde infallibiles censuissent.

S. Epiphanius *hæresi* 76. Anomæos hæreticos insectatur, quod vellent Prophetas, & Apostolos multa ut puros homines scripsisse, nullo Spiritus S. afflatu habito.

Et D. Hieronymus in *Præfat. Commentariorum in Epistolam D. Pauli ad Philemonem*, alios insectatur, *qui nolunt inter Epistolas Pauli eam recipere, quæ ad Philemonem scribitur; ajunt non semper Apostolum, nec omnia, Christo in se loquente, dixisse*, quia non est nisi epistola commendatitia in gratiam Onesimi servi quondam ipsius.

Accedit & ratio, quæ rem ipsam certissimam faciat. Ita debuerunt scribere Canonici Scriptores, ut summum haberent apud homines auctoritatis gradum; nullusque aliqua verisimili ratione posset illorum suffragium elevare atque rejicere: at si in rebus naturalibus, quas attingunt obiter, erasse convicti fuissent, summum non habuissent apud homines auctoritatis gradum.

Probatur jam multo distertius, Scriptores sacros a Deo etiam specialiter afflatos fuisse; in iis scribendis, quæ ipsi per se se aliunde noverant, aut ex aliorum Narratione didicerant. Fides nostra Divinæ revelationi debet inniti: alias fides Divina non esset, sed humana. Sed hæc est etiam de factis plurimis, atque Mysteriis, quæ Scriptores sacri se ipsis, propriorumque sensuum testimonio noverant, aut ex aliorum testimonio didicerant; qualia sunt Christi Domini facta, miracula, Mysteria in Evangeliis enarrata, ab illius Apostolis visa, & scripto mandata, facta quoque, gestaque Moysis ab ipsomet patrata, & scripto tradita: Igitur facta illa quantumvis ab ipsis visa, ac naturaliter cognita, adhuc tamen Divina inspiratione sunt scripta: aliter fides nostra iis innixa, auctoritati humanæ non Divinæ niteretur.

Suffragatur huic etiam lata Censura Academiarum Lovaniensis & Duacensis in hanc Lessii, & Hamelii propositionem: *ut aliquid sit Scripturæ Sacra non est necessarium, ut singulæ veritates & sententiæ sint immediate a Spiritu S. ipsi Scriptori inspiratæ.*

Non defuere tamen Protestantes cavillatores, existimantes, Scriptores sacros non fuisse in rebus prophanis ex occasione memoratis, a Deo specialiter inspiratos; adeo ut in illis errare potuerint; qui momenta hæc omnia exsufflare loco primo tentarint hoc pacto.

Ad ea sola scribenda admittenda est Scriptorum sacrorum revelatio, quæ per illos Deus docere nos voluit; & ex quibus pendet fides nostra: Deus porro per Scriptores sacros prophanas scientias edocere non voluit: uti nec illis innititur fides nostra; concludendum est igitur, Scriptores sacros non fuisse a Deo in rebus prophanis conscribendis specialiter inspiratos; uti diserte docuit Augustinus *lib.* 2. *de Genesi ad litt. cap.* 9.

Vetus est hæc Protestantium Vitiligatorum Cantilena; cui tamen respondeo, valere quidem ad ea dumtaxat conscribenda, quæ Deus docere nos vult, per se primo Divinam Inspirationem: Dico tamen, per accidens extendi ad illa omnia, ex quorum ignoratione infirmaretur Sacrorum Scriptorum auctoritas, possetque in dubium revocari.

Hinc Augustinus loco objecto contendit, Scriptores sacros illa quoque scivisse, etsi non ideo scripserint, ut nos illa docerent: *breviter dicendum est, de figura Cœli, hoc scivisse auctores nostros, quod veritas habet; sed Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines nulli saluti profutura.*

Urgent

Urgent nihilosecius Protestantes, utque sacros Scriptores, in rebus ad alias scientias naturales spectantibus referendis, a Deo nequaquam afflatos fuisse demonstrent, varios illorum errores notant atque suggillant; ad quos strictim nobis est respondendum.

Notant itaque primo, Moysem *Genesis* 1. Solem & Lunam vocare luminaria magna: cum tamen constet stellas longe multas Luna esse majores.

Verum non est ita, ut ajunt, non est ita. Luna enim dicitur luminare majus aspectui, & obtutui nostro, licet non ita in re ipsa sit; dicitur etiam, Lunam esse luminare majus quoad vim illuminandi, quia multo magis illuminat, quam quæcumque stellæ corpore ipso majores, & ampliores.

Notant secundo, Moysem eodem illo in capite primo Geneseos astruere, aliquas esse aquas supra firmamentum dum ait *v.* 7. *divisitque aquas, quæ erant sub firmamentum, ab his, quæ erant super firmamentum*: cum tamen constet firmamentum omnibus omnino aquis longe esse superius.

Sed neque felicioribus ventis mare istud enavigant. Nam vox illa *firmamentum* æquivoca est, nec idem ubique significat. Hic ergo significat Cœlum illud, cui sydera videntur rudioribus inhærere, seu extremum illum Cœlorum ambitum, quem oculi nostri attingunt.

Notant tertio, Davidem *Psal.* 148. aquas agnoscere supra Cœlos, dum eas ad Deum laudandum invitat: *aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, laudent nomen Domini.*

Futilius vero; nam Sacris in Litteris *Cœlum* communiter vocitatur totum illud spatium, quod supra nubes est, & ultra supremam aeris regionem, imo eo quandoque vocatur nomine infimæ regionis aer, in quo volitant aves; unde *& volucres Cœli* aliquando dicuntur.

Notant quarto *Josue cap.* 10. scriptum esse, Sol, & Luna steterunt in medio Cœli: cum tamen Cœlum utpote sphæricum, medium non habeat.

Sed nihil æque hoc ex capite extundere possunt: nam Cœlum in se ipso quidem medium non habet, oculis tamen nostris medium Cœli videri partem illam, quæ est nobis in Orizonte, videturque nobis æqualiter distare ab Oriente, & Occidente.

Nec melioris est comatis, quod notant, graviterque suggillant, Scriptorem *libri tertii Regum cap.* 7. scripsisse, vas illud ingens æneum rotundum, quod erat in templo Salomonis, vocaturque mare, decem cubitos habuisse in diametro, a labio scilicet ad labium, & triginta cubitos in circuitu; Cum tamen circumferentia circuli, non modo triplo major sit diametro, sed insuper septima feme diametri parte, atque adeo si ingens illud vas æneum, quod figuræ circularis dicitur fuisse, decem in diametro cubitos habebat, cubitos triginta & unum, & tantillum amplius habere debebat in circuitu.

Si tamen rem ipsam totam penitius perpendamus, comperiemus, non constare, vas illud æneum figuræ fuisse perfecte rotundæ, & circularis, ac non potius figuræ imperfecte circularis, seu figuræ ovatæ: quo casu circumferentia ejus, nonnisi 30. cubitos habuisset, ut decem cubitorum diametro responderet.

Cui addiderim ego, Scriptorem illum *libri* 3. *Regum*, triginta dumtaxat cubitos in circuitu numeraße, & non triginta & unum: quia moris est Sacrarum Scripturarum, ut in faciendis computationibus, numerus dumtaxat rotundus adnotetur, tacito numero minori: ut 50. pro 52. 70. pro 76.

Instant nihilominus Adversarii, Scriptores librorum sacrorum, quales in veteri Testamento fuere Prophetæ, & in novo Apostoli, Christique Discipuli, quantumvis Spiritu S. afflati dicantur, in sacris pertractandis juxta illud Christi Domini, *Matthæi cap.* 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in nobis*: Non ita tamen in rebus peregrinis, quas forte dicerent, facerentque, inspirati putandi sunt, ut in illis labi non possent: Nam & Nathan Propheta primo statim occursu, Davidi falsum dixit, Illum templum Domino ædificaturum; & Petrus in legalium observantia, initio cespitavit: & Stephanus Protomartyr concionem habens ad populum, memoriæ lapsum passus a multis existimatur: Igitur pari titulo non ita censendi sunt inspirati a Deo Scriptores sacri, quin in minimis saltem cespitare potuerint.

Quibus reponere satis sit: lumen Divinæ Inspirationis, perinde ac lumen propheticum non dari per modum habitus permanentis, sed per modum vialis, ac transitoriæ cujusdam coruscationis, virosque inspiratos a Deo, non semper quocumque actu, quacumque familiari conversatione, quocumque colloquio a Deo specialiter regi ac dirigi: sed tunc tantum dum sacrum munus exercent, quod eam peculiarem postulat illustrationem & directionem. Porro Scriptores librorum Canonicorum in actuali scriptione, eam postulant illustrationem specialem & indefectibilem.

Sat igitur defensatam arbitror contra Protestantes fabulatores divinam sacrorum utriusque Testamenti librorum auctoritatem.

Officii ratio postulat, ut ad quorundam Scriptorum Catholicorum hallucinationem refellendam nunc animum convertamus, qui quantumvis Scriptores sacros in nullo prorsus lapsos fateantur, illos tamen divinitus inspiratos negant, in iis conscribendis, quæ vel se ipsis, vel aliorum testificatione, certissime noverant.

Hoc itaque momento primum in aciem veniunt. Sicuti Deus non deficit in necessariis, ita non abundat in superfluis: at superflua est hujusmodi inspiratio divina eorum, quæ aliunde certo sciuntur; in iis ergo, concludunt, quæ vel se ipsis, vel aliorum testificatione certissime noverant, in scriptoribus sacris necessariam non esse Inspirationem divinam.

At mera æquivocatio hæc est. Id enim superfluum est, ut illud sciant tamquam personæ privatæ, & ad privatam sui notitiam: necessarium vero, ut hoc noverint tanquam personæ publicæ, ut Scriptores canonici, jacientes catholicæ fidei fundamenta: utque de illis testimonium ferre possint plane divinum.

Ad hæc: etsi non esset specialis illa Revelatio necessaria, ut illud scirent, quod aliunde sciebant; erat tamen illis peculiaris Dei afflatus necessarius, ut id indefectibiliter scriberent, quod a se ipsis noverant, neve aut oblivione, aut injuria, aut etiam prava aliqua intentione, a scribenda fideliter veritate, retraherentur.

Sed relicta prima hujusce Næniæ confutatione, ad alia sermonem convertamus, quæ majori otio, atque Criterio discutienda sunt.

Quis credat, ajunt hi, Paulum peculiariter a Deo fuisse afflatum, ut scriberet *in Epist.* 2. *ad Timot. cap.* 4. *Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in Ministerium. Tychicum autem misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem mem-*

membranas. Quæ hic necessitas Divinæ inspirationis?

Quis credat, Apostolum inspirante Deo dicta Poetarum laudasse, Arati, Menandri, Epimenidis *c.* 1. *Epistolæ ad Titum: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* 1. *ad Corinthios: Corrumpunt mores bonos colloquia mala; & Actorum* 17. *Ipsius enim & genus sumus*?

Ad hujusce momenti confutationem, idem illud repono, quod in superiori, licet Divina revelatio necessaria iisdem non esset in factorum per se simplicium enarratione; necessaria tamen ex eo erat, quia ex factis illis tametsi per sese simplicibus, morales Institutiones peti possunt; & ex Poetarum testimoniis tamquam propriis armis Gentiles impugnari poterant.

Ad hæc etiam; ideo fuit in Apostolo Divina revelatio, quia cum Poetas illos forte nusquam legisset, Deus quid illi scripsissent, revelavit, ut ex eo posset ille argumentum petere contra Gentiles.

Argumentum alterum petunt ex observatione ab iis facta: nimirum Evangeliorum Scriptores, ut fidem scriptis suis concilient, jactare solitos esse non divinam inspirationem sibi factam, quo nihil luculentius fuisset, sed notitiam ex suis ipsorum sensibus captam de rebus a se conscriptis, aut etiam probatorum testium suffragium, a quibus quæ scripturi sunt, didicerunt. Sic Joannes *cap.* 1. *Epist.* 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis*. Lucas *initio Evangelii: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: Visum est & mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile*. Quin, & Paulus, ut Evangelio, quod prædicabat, auctoritatem conciliet, ait *cap.* 2. *ad Galatas*, se illud cum Apostolis contulisse, eaque de causa Jerosolymam perrexisse.

Huic argumento facile occurrimus reponendo conciliandam illis fuisse fidem humanam apud Judæos, & Gentiles: inde vero fidem divinam. Fidem humanam ibi conciliant, declarando ea se scribere, quæ vel viderunt ipsi, vel a probatissimis testibus acceperunt: tunc fidem Divinam sibi conciliant laudata subinde inspiratione Divina sibi facta, *Joan.* 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: Matthæi* 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Et Paulus *cap.* 1. *ad Galatas: Notum enim vobis facio fratres, Evangelium, quod Evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*. Stat itaque undecumque, omnique ex capite invicta in rebus etiam prophanis ex occasione memorandis Scriptorum sacrorum auctoritas.

Succedit nunc alterum refellendum, quod ex *lib.* 2. *Machabæorum* desumunt momentum. Liber hic, inquiunt hi, non est profecto Divina revelatione conscriptus, cum non sit nisi compendium quinque librorum Jasonis Cyrenei: ut ex ipso *capite* 2. liquet. Quomodo enim compendium libri Vulgaris Divinum esse potest? Aut quæ necessitas erat Divinæ Inspirationis, ut illud compendium fieret?

Sed nec ista nos movent, ut a statuta sententia resiliamus. Potuit enim liber ille Divina plane inspiratione conscribi: quatenus Spiritus Sancti afflatu totam materiam in quinque Jasonis libris comprehensam breviavit, & in compendium redegit sacer Scriptor; ipsoque Divino afflante Spiritu didicit, quæ vera illic essent in compendium redigenda, quæ falsa forte rescindenda. Unde perperam humana industria dicitur factum compendium illud, meritoque ab Academiis Lovaniensi & Duacensi damnata est illa Lessii & Hamelii propositio anno 1586. *Liber aliquis (qualis forte est 2. Machabæorum) humana industria, sine assistentia Spiritus S. scriptus, si Spiritus S. postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura Sacra*.

Ruit tandem mole sua hoc ultimum, quod ex eo colligunt argumentum, quod nimirum Apostolus sæpe suis in Epistolis distinguere videtur, quæ Divino afflatu, quæque ex sensu proprio atque humano dumtaxat mandabat. Non igitur in omnibus conscribendis, concludunt, Divino Spiritu afflatum esse. 1. *Cor.* 7. *vers.* 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere . . . . Cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*. Et 2. *Cor. cap.* 11. *vers.* 17. *quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia*.

Perperam ergo ad præsens Institutum dicta illa Apostoli detorquentur. Ac in primo quidem loco, distinguit Apostolus quod præcepti est, & quod est consilii. Primum Dei esse dicit, mandantis scilicet & præcipientis; non sui tantum & consulentis: secundum dicit esse sui, non Dei; hoc est, sui simpliciter consulentis, non Dei, ut præcipientis atque mandantis. Quamquam tamen utrumque Dei esset, ut afflantis & inspirantis: quia ut illa quoque consilia daret Paulus, inspirabatur a Deo. Alterum vero, quod post factam sui ipsius laudationem, & commendationem subjungit Apostolus: *quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia*: hunc sensum habet: Ea mei ipsius laudatio, communi quidem legi repugnat, & ex insipientia profecta videtur: etsi spectatis caussis, & circumstantiis, quibus me ipsum commendare compulsus sum, inspirata mihi a Deo fuerit, utpote ad Apostolici ministerii defensionem necessaria. Unde hac intacta controversia, ad aliam progredi animus est: num scilicet singula & individua verba, quibus scripti sunt Sacri Libri, perinde fuerint inspirata. Verum quoniam non incuriosa quæstio hæc est: idcirco in ea pertractanda industriam nostram ac diligentiam in sequentibus exercendam judicavimus,

PRÆLECTIO VII.

De eadem Divinarum Scripturarum Revelatione quoad singularia & individua verba.

QUæ hactenus de Divinarum Scripturarum speciali revelatione & inspiratione a Deo facta in antedictis disputavimus, de sensu atque substantia ut ita dixerim, Scriptionis, facile intelliguntur. At illud a multis quæritur insuper, an singula quoque & individua verba, quibus scribendo sunt usi Canonici Scriptores, ut hunc, aut illum sensum exprimerent, perinde fuerint inspirata, ac veluti a Spiritu Sancto dictata syllabatim & individue; an autem Scriptorum arbitrio, & industriæ verba ipsa relicta sint.

Disputant ea de re in utramque partem viri summi in Ecclesia Catholica. Qua in re illud certo pronunciarim: Nihil absolute repugnasse, quominus Deus individua etiam, ac singularia verba sacris Scriptoribus revelaret, inspiraret, afflaret; Minime tamen fuisse necessarium, ut id faceret; imo verisimilius est non fecisse. Certe nihil repugnasse, quominus individua ac singularia verba

verba sacris Scriptoribus inspiraverit Deus, palam ostendo, iis refutatis rationibus & momentis, quibus ostendere conati sunt aliqui Recentiores, id penitus repugnare.

Si Deus, inquiunt Recentiores illi, non sensum dumtaxat sententiarum, ac narrationum, sed & verba ipsa omnino singula sacris Scriptoribus specialiter inspirasset, Deus ipse proprius ac speciali styli auctor censendus esset: in verborum quippe delectu, atque dispositione stylus est positus: at sacrarum Scripturarum stylus seu verborum, phrasiumque delectus, Dei ut specialis auctoris non est, sed Scriptorum ipsorum, quibus tanquam liberis Instrumentis usus est Deus, hinc varius variorum librorum est stylus, pro varietate scilicet Scriptorum. Imo varius quandoque ejusdem Scriptoris est stylus, pro varietate idiomatum, quibus varios libros adornavit unus & idem; ut est eloquentior Pauli Epistola ad Hebræos, hebræo sermone conscripta, cæteris ejus Epistolis Græce adornatis; propterea quod nativus illi, patriusque esset sermo hebraicus, non itidem Græcus, hinc Apostolus ipse *imperitum se* sermone Græco dicit 2. *ad Corint. cap.* 11. Quod etiam de Amoso Propheta afferit Hieronymus.

Hinc demum Scriptores nonnulli styli sui ruditatis & inelegantiæ veniam rogant: non ita profecto rogaturi, si distincta, quibus scripsere, verba, phrasesque a Deo, ut speciale Auctore & spiratore habuissent: 2. *Machab.* 16. *Si autem minus digne, Concedendum est mihi*. Auctor quoque *Prologi in lib. Ecclesiastici*, *Hortor vos . . . veniam habere in illis, in quibus videmur . . . . deficere in verborum compositione*.

His tamen omnibus reponere facile esset, Deum caussas omnes secundas, maxime vero ratione præditas movere semper apte, concinneque ad nativas illarum dispositiones, & inclinationes: atque ita Deum Scriptores etiam sacros afflasse, inspirasse, rexisse, verba quoque singulis suggerendo concinne & apte ad illorum intelligentiam, capacitatem, & sufficientiam. Quemadmodum ergo Deus varios cum variis caussis secundis effectus edit, nobiliores alios, alios ignobiliores, prout varie sunt a natura dispositæ: ita stylum nobiliorem, verbaque elegantiora suggerere potuit Davidi Regi, & Danieli Regio sanguine orto, quam Amoso Prophetæ, qui ab Aratro, & Pecore ad Propheticum munus vocatus erat. Non itaque necessario colligendum inde, non fuisse illis ab ipso Deo inspirata singula verba; sed ea illis inspirata fuisse verba, quæ ut inspirarentur, illorum nativa vel ruditas, vel elegantia postulabat. Quamquam quod in *Prologo libri Ecclesiastici* legitur, *hortor vos . . . . veniam habere in illis, in quibus videmur . . . . , deficere in verborum compositione*, ipsius Auctoris supplicatio non est, Jesu scilicet filii Sirach, sed primi illius interpretis, alterius nempe Jesu prioris abnepotis; qui proavi sui Autographum Hebraice scriptum Græce reddidit, quale nunc duntaxat habemus. Quare nihil incommodat, quod ille veniam rogat sacer Scriptor, si quid in verborum compositione peccavit: Non enim veniam rogat sacer Scriptor, sed ejusdem interpres.

Cæterum etsi possibile fuerit ita fieri, singula scilicet verba sacris Scriptoribus inspirari; existimo tamen non fuisse id absolute necessarium ut fieret; imo non esse factum, pro certo teneo, proboque ex triplici capite.

Primo. Si ad Veram Sacri Scriptoris inspirationem, utque Sacra Scriptura vere a Deo inspirata censeretur, necesse esset, ut singula quæque Verba inspirata essent, sequeretur, Ecclesiam non habere nunc Scripturas a Deo vere inspiratas, aut certe Scripturis a Deo vere inspiratis modo non uti: quandoquidem periere permulta Scriptorum illorum autographa, quorum propria Verba a Deo inspirata fuissent: Imo solam nunc versionem vulgatam publico usui consecravit Ecclesia, cujus certe Verba materialia a Deo inspirata non sunt: imo cujus verba latina non semper minutatim & syllabatim Hebræicis Græcisque fontibus respondent, sed neque respondere semper possunt, ob Latini dialecti ab Hebraico, & Græco diversitatem. Maxime cum D. Hieronymus Vulgatæ versionis nostræ præcipuus, ac ferme unicus auctor profiteatur, se in plerisque Scripturæ libris Latine vertendis, *magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum* transtulisse: Ut *Præfat. in lib. Judith*. Et Præfat. *in lib. Job*: *hæc autem mea translatio*, inquit, *nullum de veteribus sequitur interpretem; Sed ex ipso Hebraico, Arabicoque Sermone, & interdum Syro, nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit*. Quin etiam veterum ac recentium Interpretum sententia est, in Epistola ad Hebræos sensum esse dumtaxat D. Pauli, phrases vero & elocutionem Clementis esse, vel Lucæ; adeo verum est, ad divinam Sacrarum Scripturarum inspirationem, necesse non esse, ut singula verba sint a Deo inspirata, sed sensum.

Secundo. Quamquam Christus adpromiserit Apostolis, *Joan.* 14. fore ut illis suggeret Spiritus S. omnia, quæ ipsemet illis ante dixisset: *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*; perspectum tamen non semper Spiritum S. Apostolis suggessisse verbatim & syllabatim, quæcumque Christus illis antea dixerat, sed ut ut maxime quoad sensum, substantiamque dictorum. Patet id in quatuor Evangeliorum Scriptoribus, qui sermones a Christo D. habitos scriptis suis mandando, non eadem semper illius verba referunt omnes; sed alia quandoque verba Matthæus in Christi D. ore ponit, alia Marcus, alia Lucas, alia Joannes, tametsi eundem sensum verba omnia referant. Specialis igitur ille Spiritus S. afflatus, quo Scriptores sacri scripsisse dicuntur, non postulat, ut singula semper verba fuerint inspirata, satisque est, si dictorum sensus fuerit illis afflatus.

Sed rem ipsam totam ponamus ob oculos. Dum Historiam E. G. institutionis Eucharistiæ narrant Evangelistæ, Christumque Consecrantem Calicem repræsentant, verba, quibus usus est ille, se referre profitentur; *ait illis Jesus: dixit illis Jesus*; non tamen eadem individue verba ejus in ore ponunt concorditer omnes: *Matthæus* enim *cap.* 26. Christum dicentem refert: *Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: Lucas Christum dicentem exhibet *cap.* 12. *Hic est Calix Novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundentur*. Paulus in 1. *Epist. ad Corinthios cap.* 11. Christum his verbis Consecrantem inducit: *Hic Calix Novum Testamentum est in meo Sanguine*: Marcus *remissionem peccatorum* omittit. Quamquam autem ea omnia verba, quæ in Christi D. Consecrantis ore ponunt Sacri illi Scriptores, in eumdem sensum redeant, non eadem tamen omnino sunt syllabatim & individue; repugnatque Christum eadem illa omnia syllabatim & individue protulisse: Itaque solus Christi verborum sensus Evangelistis est inspiratus, ut scripto mandarent, non verba ipsa sigillatim & individue.

Non absimiliter; dum Matthæus *cap.* 5. & Lucas *cap.* 6. Christi D. concionem ad Discipulos habitam referunt, qua eos de variis Beatitudinibus docuit, ipsa Christi D. verba referre se profitentur: *Aperiens os suum docebat eos dicens, Beati Pauperes spiritu*. Et tamen octo beatitudines a

Christo recensitas refert Matthæus, quatuor tantum Lucas; cum tamen impossibile sit, Christum relata ab utroque Evangelista verba distincte atque expresse dixisse; quatuorque simul, & octo Beatitudines enarrasse. Non ergo distincta Christi D. verba utrique Evangelistæ a Spiritu S. suggesta sunt, ut referrent, sed verborum duntaxat sensum: quatenus, ut a Patribus observatum est, octo illæ a Matthæo recitatæ beatitudines in quatuor a Luca recensitis continentur, & istæ quatuor in illis octo comprehenduntur.

Idem de aliis Christi D. Sermonibus facile dixerim, a variis Evangelistis diverse relatis, quamquam uterque propria illius verba referre profiteatur.

Idem & de aliis plerisque aliorum sermonibus, in variis Scripturarum libris summa fide relatis, atque narratis.

Tertio, Si Spiritus S. non modo Prophetiarum sensum ac summam; sed singula etiam, & individua verba Prophetis inspirasset, quæ scripto mandarent in veteri Testamento conscribendo; certe Novi Testamenti Scriptores, quoties veteris testimonia laudant, eadem quoque individua verba retulissent: quandoquidem ea referre debuere, quæ prophetis illis fuerant a Spiritu S. dictata & inspirata. Attamen e contrario videmus sæpe numero laudari a novi Testamenti Scriptoribus, non verba ipsa Prophetarum, sed sensum duntaxat, atque sententiam. Unde D. Hieronymus *lib. 1. Comment. in Matthæum* diserte testatur, *Matthæum* Veteris Testamenti oracula recitantem, *non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum*. Argumento igitur est, Spiritum S. non ipsa semper verba sacris Scriptoribus inspirasse, afflasse, dictasse, sed plerumque, imo & Sæpius sensum tantum, atque sententiam inspirasse.

Superest nunc altera de Traditione pertractanda Controversia, quæ altera Fidei nostræ regula est, quæ quia peculiare criterium postulat, idcirco in diem alteram mittimus, majori otio proferenda.

PRÆLECTIO VIII.

De Traditione, Altera Fidei nostræ Regula.

DE Traditione Divina nobis hic est specialiter disputatio: quæ nihil aliud est, quam ipsummet Dei Verbum, non quidem scripto divino consignatum, sed a Deo ipso primis suis Ministris oretenus declaratum; ac tum subinde ab illis ad nos usque ore ad os, ac veluti per manus continua serie derivatum: quæriturque a nobis, num detur re ipsa hujusmodi Traditio, seu Divinum Verbum non scriptum, cui tanquam firmissimo fundamento Catholica Fides inniti possit, ubi divina Scriptura non suffragatur, sed filet omnino de aliquo fidei dogmate definiendo.

Citra itaque dubium habeto, re ipsa dari hujusmodi Traditionem, seu divinum verbum non scriptum.

Ludam operam, si quotquot in hujusce veritatis probationem rationes ex Scriptura delibantur velim hic minutatim, ac distincte recensere. Selectiora breviter dabo, quæ catholicam veritatem in propatulo ponunt.

Certe hujusmodi Traditionem fuisse semper tanquam Catholicæ Fidei fundamentum, regulamque certam, atque constantem, ipsa rei necessitas postulat: alias fides Catholica per multum tempus necessario principio, fundamento, ac regula caruisset. Ab ipso enim orbe condito, quacumque ætate, quocumque tempore fides ad salutem necessaria fuit, hæcque vicissim divino verbo inniti semper debuit; alias fides divina non fuisset. Cui autem verbo scripto innitebatur toto tempore E. G. legis Naturæ? cum nullum tunc divinum verbum scriptum esset.

Unum est, quod Lutherani & Calviniani reponere possint: Valuisse quidem Traditionem, ut ita dicam, oralem, fuisseque necessariam Fidei regulam, dum Dei verbum nondum scripto consignatum erat; ast ubi scripto exaratum fuit, superfluere.

Sit ita si lubet, illud saltem ex allato argumento colligo, Traditionem oralem regulam fidei esse posse, quippe quæ re ipsa tanto tempore fidei regula fuit; nec patere iis incommodis, quæ nobis a Calvinianis obijciuntur.

Sed est & illud longe falsissimum, futiles ac superfluas evasisse Traditiones, ex quo tempore Dei verbum scripto consignari cæptum est. Quandoquidem ipsi quoque Scriptores verbi Dei, Divinum verbum orali adhuc Traditione in filios transmittendum docent: auscultandas quoque tenendasque Traditiones injungunt. Sic Moyses primus Divini Verbi Scriptor *cap. 32. Deuter. 7. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi. 1. Exodi cap. 13. vers. 8. Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est, quod fecit mihi Dominus*. Et Regius Vates *Psal. 77. Quanta mandavit* (Deus) *Patribus nostris nota facere ea filiis suis: ut cognoscat generatio altera*. Et *Apost. 2. ad Tessal. 2. Itaque fratres state, & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*.

Sed quid momentis longius accersitis est opus, ut Calvinianum errorem hoc in capite refellamus? An non illi multa nobiscum profitentur fidei Capita, quorum ne vestigium quidem extat in Verbo Dei scripto? Quibus idcirco tuendis ac propugnandis sola Traditio suffragatur. Si ergo non est Traditio certa Fidei regula, perperam ista nobiscum profitentur. Singula rogo vos perpendamus.

Deiparæ Virginitas post partum, contra Helujdium.

Baptisma ab Hæreticis collatum, ut validum, contra Afros.

Baptismus parvulorum contra Anabaptistas.

Processio Spiritus S. a filio, contra Græcos.

Duæ in Christo voluntates, contra Monothelitas.

Sublata Sabbati observantia, non obstante tertio Decalogi præcepto, inductaque observantia primæ diei.

Facultas edendi carnem cum sanguine suffocatam, non obstante Apostolico interdicto.

Qui veri & canonici sint libri.

Quid plura? Quæstiones interdum ad Fidem Catholicam pertinentes emergunt in Ecclesia, de vero & genuino Scripturæ sensu, E. G. de Christi corpore in Eucharistia præsente: quibus definiendis & eliquandis Scriptura Sacra non sufficit: quandoquidem de illius sensu disputatur; ad aliam itaque regulam confugere necesse est, cujus beneficio certus Scripturæ sensus dignoscatur.

Nec est quod mihi reponat aliquis, Ecclesiam in hujusmodi credendis regulam esse. O utinam huic regulæ stare vellent Lutherani! At præterquamquod ex solis litteris sacris, sine Traditionis beneficio certo nosse non possumus, quænam vera Ecclesia sit: quærimus hic non regulam externam, ac simpliciter proponentem, qualis Ecclesia est: sed regulam ut ita loquar intrinsecam, quæ ipsimet Ecclesiæ ad judicandum regula est: quæ iis in casibus nonnisi Traditio esse potest. Unde enim certo novit Ecclesia, hunc potius, quam illum legitimum esse Scripturæ sensum, nisi beneficio Traditionis?

Repo-

Reponunt Lutherani & Calviniani, ut eo se nodo exolvant, sufficere, ad certum hujusmodi Scripturarum sensum retegendum, privatum cujusque spiritum, seu afflatum Spiritus S. unicuique fideli assistentem.

Contra est primo; nam Regula Fidei debet esse certa & indubitata. Secundo debet esse generalis & communis. Tertio non debet esse illusionibus obnoxia, unde ex hoc nil quicquam extundere possunt.

Tempus est jam, ut Lutheranorum, & Calvinianorum conatus improbos, queis congestis, ac male detortis Sacrarum Scripturarum oraculis lucidissimæ veritati nebulas offundere moliuntur, vanos prorsus, atque irritos ostendamus.

Hi ad quatuor maxime capita revocantur, in quibus potissimum erroris sui præsidium ponunt. Primo quod Scriptum Dei verbum, ad salutem, fideique tutelam abunde sufficiat. Secundo, quod nihil scripto Dei verbo sit adjiciendum, ad fidei tutelam ac defensionem. Tertio, quod scriptum Dei verbum satis se solo sit lucidum, nitidum, & apertum, ut non egeat accersito Traditionis lumine illustrari & explicari. Quarto, quod has ipsas Traditiones tanquam hominum commenta Christus Dominus reprobarit, & condemnarit. Ita ne fit, ut existimant, perpendamus.

Ad salutem igitur, fideique tutelam Scripturam sacram aliunde sufficere, quin præterea Divina Traditione sit opus, evincere se posse putant ex *Epist. 2. ad Timoth. cap. 3. Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu . . . . Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Et ex illo Joannis Evangelii *cap. 20. Multa quidem, & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei; & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus*.

At bona eorum pace dixerim, meram equivocationem illic esse, lusumque verborum. Apostolus enim, dum ait sacras litteras instruere posse ad salutem, non intelligit absolute & universim, sed ad hunc finem tantum, qui est ad credendum in Jesum Christum. Is etenim erat cardo disputationis Apostoli contra Judæos, qui salutem in lege ponebant, Paulus vero in Christi fide. Præterea non ait sufficere, sed esse *utilem, & posse instruere*.

Ad secundum vero quod attinet, uno verbo respondeo: Joannes eo loci loquitur de signis, seu miraculis, non de dogmatibus, unde futilis objectio est.

Nihil esse scripto Dei verbo adjiciendum ad fidei defensionem, tribus pariter oraculis evincere satagunt. *Deut. 4. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Apocalip. ult. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum, plagas scriptas in libro isto. Ad Galatas 1. Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*.

Verum quam parum ista nos urgeant, nemo non videt: imo quam belle, quæ de Divina Traditione produximus ista confirment, facile deprehendet, qui, quo sensu intelligendi sint lati contextus, paulo penitius perpendat.

Quod igitur ad primum attinet: nimirum *non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*: ipsamet textus verba satis innuunt, quam parum evincant ac probent. Dicitur enim *non addetis ad verbum*, ex quo inquio ego, Traditiones non esse proprie additiones ad verbum Scriptum, cum imo in ipso met verbo scripto Traditiones commendentur.

Cui addiderim etiam, id de divinorum mandatorum adimpletione dictum esse; unde additur, *custodite mandata Domini Dei vestri*. Idque significat unice: *non addetis ad verbum, quod vobis loquor*, id est, nihil facietis eorum quæ prohibeo: *neque auferetis ex eo*, hoc est, nihil omittetis eorum, quæ jubeo. Unde nihil oraculum illud ad præsentem controversiam facit de Traditionibus oralibus ad scriptum Dei Verbum adjiciendis.

Paris omnino sortis, & conditionis est aliud, quod *ex Apocalypsi ult.* desumunt momentum, *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*. Nam ipsemet Joannes apposuit seu addidit, quippe qui post Apocalypsim scripsit Evangelium.

Quid ni quoque dicamus, vetare Joannem, ne quid Revelationi sibi factæ in Insula Pathmos addatur ab aliquo tamquam pars illius nomini affixa, contra Simonianos, Cerinthianos, Ebionitas; neque ex hoc igitur in sui systematis probationem Lutherani & Calviniani desumere quicquam possunt.

Multo minus æquum & prudentem æstimatorem movere debet ex Apostolo *Galat. 1.* ab iis desumptum argumentum. *Sed licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Cum Paulus præter hæc multa deinceps evangelizaverit, uti evangelizavit & Petrus, & Joannes.

Observationem hanc nostram, qua soluta est difficultas, altera confirmat & roborat observatio longe facilior, nimirum ly *præterquam*, quod legitur in celebrato Apostoli textu, pro *contra* esse intelligendum παρὰ; uti ly *præter naturam* quod legitur ad *Rom. 1. contra naturam* interprætantur Hieronymus, Augustinus, Ambrosius; & per consequens illud Apostoli oraculum hoc sensu esse intelligendum, hoc est anathema dixisse iis, qui *contra* quod iisdem evangelizatum fuit, evangelizare voluerint.

Urgent nihilo secius contra nos Lutherani & Calviniani audaciores, & ut Scriptum Dei Verbum satis se solo apertum esse, ut Traditionis beneficio non indigeat, demonstrent, aliis momentis evincere adnituntur.

Unum itaque desumunt ex *Psalmo 18.* ubi habetur: *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis . . . . Declaratio sermonum tuorum illuminat; & intellectum dat parvulis*.

Desumunt alterum ex eo quod legitur *Prover. 6. Mandatum lucerna est, & lex lux*.

Uno flatu tota ea machina, ex congestis iis oraculis efformata, disturbatur, si videlicet observetur, non ad id solum necessariam esse Traditionem, ut Divinarum Scripturarum obscuritas tollatur, sed ut alia quoque dogmata in Scripturis distincte non expressa retegantur.

Ad uberiorem nihilominus solutionem dico, ea quæ objiciuntur Testimonia, de divinis mandatis esse intelligenda ad vitam honeste ac religiose instituendam a Deo datis, quæ certe satis superque sacris in litteris expressa sunt, ut vix ulla ad ea capienda, aliena interpretatione sit opus. Cæterum in aliis longe multis, obscuras esse Divinas Scripturas, multisque egere interpretamentis, ex Divina Traditione potissime repetendis, adeo est evidens; ut insanire Lutheranos & Calvinianos necesse sit, qui id negent. At enim si ita planus & facilis est Scripturarum sensus; Cur D. Petrus *Epist. 2. cap. ult.* scribit: in Pauli Epistolis esse *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant?* cur Christus ipse Discipulis euntibus